

Non queo mihi temperare quo minus ad hoc perti- 30  
 nentia ipsa censorii Catonis uerba ponam, ut  
 appareat etiam Catoni de Militari Disciplina com-  
 mentanti, qui sub Africano, immo uero et sub  
 Hannibale didicisset militare et ne Africanum quidem  
 ferre potuisset, qui imperator triumphum reportasset,  
 paratos fuisse istos, qui obtrectatione alienae scien-  
 tiae famam sibi aucupantur : « Quid enim ? » ait in  
 eo uolumine, « Scio ego, quae scripta sunt si palam  
 proferantur, multos fore qui uilitigent, sed ii potis-  
 simum, qui uerae laudis expertes sunt. Eorum ego  
 orationes siui praeterfluere. » Nec Plancus inlepide, 31  
 cum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare,  
 quae ab ipso aut libertis post mortem Planci ede-  
 rentur, ne respondere posset : « cum mortuis non  
 nisi laruas luctari. » Quo dicto sic repercussit illas,  
 ut apud eruditos nihil impudentius iudicetur.

Ergo securi etiam contra uilitigatores, quos Cato 32  
 eleganter ex uitiis et litigatoribus composuit (quid  
 enim illi aliud quam litigant aut litem quaerunt ?),  
 exsequemur reliqua propositi. Quia occupationibus tuis 33  
 publico bono parcendum erat, quid singulis continere-